

## De. Spinozismo. Post. Spinozam.

Gryphisvaldiae: Typis. Georg. Henr. Adolphi., [1708?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875725864>

Druck Freier  Zugang



theologica.

77.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn875725864/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn875725864/phys_0001)

DFG

77



*Fa-1092(77.)*

Tom, LXXXIX.

1. Carolus Ludovicus Noumáynr de Trinitate Christi eo  
oconomia gratiae. Ulmae 1716.
2. Seb. Schmid de oblatione Fidelium & Lph. I, 13. 14. 1712. r.
3. — . de venditione Christi chad. xxvii, 9. —. 1688.
4. Jo. Jacob Lunsenhausen contra Anonymi Angli Christianitatis  
not. mysticorum Christianismum rathōnalem. 1713.
5. Michael Foerfchius Praef. Rimmebergensis de pacto hominum  
cum Dæmone ad effodiendos thesauros absconditos 1716.
6. Gottlieb Wernsdorff Praef. Jo. Jacobo Ferbero de Theologia  
Experimentalis. 1711.
7. Jo. Jacob Ferber pro vir. de Excecatione et induratione spirituali  
ad Marc. II. 11. 12. Argent. 1716.
8. Gottlieb Wernsdorff de Theologia Mystica. 1714.
9. Jo. Joachim Zentgraf de Panit. quotidiana. 1697.
10. Jo. Franc. Buddeg Praef. Sibero de Beatitudine oratorū. 1709.
11. — . de Haereti Arabiorum.
12. Jo. Fridenci Mayeri Paulus Suecorum Apostolus I. Theses  
ex Epistola ad Galatas a Suecor. Studijs defendenda. 1709.
13. Jacobus Saalkopff de Spinosismo post Synodum Grybolicam 1708.
14. Martinus Geier ad Ezech. xii, 9. Recusa Witt. 1712.
15. Georgi Henr. Goetz ad Act. x, 44. 45. 46. Tubae. 1712.
16. — . observationes ad chad. xii, 40.
17. 18. 19. — . de Mercatoribus eruditibus.
20. — . Museum Eruditi vanis memorabilibus conspicuum.
21. Jo. Andreas Schmid de literis sanguine Jesu Chr. firmatis.
22. Petrus Zorn de methodo explicandi Phrasologiam dogmaticam &  
Analoga rituum.

23. Jo. Geor. Abicht R. Jesare commentary in Josuam
24. Daniel Griebner de Characteribus Pseudo-Prophetarum Jer. xxv, 14.
25. Jo. Nicolaus Quistorp de Seductionibus in Act. xxiv 4, 5.
26. Thomas Ittvius ad Abucane opusculum de baptismo Fwellii  
Vet. T. q̄ aquam ex Chnsti latere.
27. Jo. David Walther sub Presidio Budderi ad Hebr. vii, 22 (21)
28. Gustav. Geor. Zeltner ad I Cor. x, 10.
29. Fridenricus Sigfrid King de Lapidatione Hebraeorum.
30. Godofredus Ludovici de Missionibus in Indiam.
31. — Zeltner de Sono Filii Homini: jam exhibito.
32. Carli Arnodi Triodii Dissert. Philol. Antiquarianam.
33. Urbanus Godofredus Ibenus de Sanctis columnantibus.
34. Chnstiang Gottlob Schwarz de veterum Codicum ornamentis.
35. Adami Rechenbergii Epistola ad Lusebium Pavianum.
36. Jo. Nicolai Hartschmid Theses Antipretistice
37. — — — de Conventiculis prior Hegltona
38. — — — — — — — — — posterior Theologica.
39. Jo. Wolfgango Tegeri Acta Esslingensia.
40. — — — — — — — — — de purgatorio Bunioni de el Poireti.
41. — — — — — — — — — animadversiones in bustatu chys. d. de Gyon
42. Jo. Andreas Knobloch de Indifferentismo Carolina.
43. Jo. Hermannus ab Ur Wich de Palinodia fanaticorum
44. Anonymi repetitio doctrinae fundamenti fidei contra Thomasia
45. Gustavus Henrich de Boehmi Naturalismo & finibus
46. Jacobus Schroeter de Haedingen A. T. erroribus Pretistiarum
47. Jo. Jacobus Terbens de Fanaticis in rectam rationem junctis.
48. Fridenricus Jacobus Firmhaber de Methodo Mathematica in  
Theologia.

2. D. B. V.  
DE.

14.5

# SPINOZISMO.

POST.  
SPINOZAM.

SVB.  
MODERAMINE.

*ILLVSTRIS. AC. REVERENDISSIMI.*  
*IN. CHRISTO. PATRIS.*

**DN. D. IO. FRIDERICI.**  
**MAYERI.**

CONSILIARII. REGII. PROF. PVBL.  
PRIMARII. ORDINIS. THEOLOG. SENIO-  
RIS. ET. DECANI. RELIQVA.

*DISSERET.*

P R A E S E S.

**M. IACOBVS. STAALKOPFF.**  
S. THEOL. BACCALAVREVS.

COMMILITONE.

**BVRCHARDO. GRAMMANNO.**

STADA. BREMENSII.

DIE DECEMB. M DCC VIII.

GRYPHISVVALDIAE.

TYPIS, GEORG. HENR. ADOLPHI. ACAD. REG. TYPOGR.

33

3

3

2

2

38.

3

2

4

2

2

4

14.

4

4

108.

88, 14

V I R O.  
NOBILISSIMO. CLARISSIMO. DO-  
CTISSIMO QVE. DOMINO.

DN.

IOACHIMO.  
HARDER.

SCHOLAE. STADENSIS. COLLE-  
GAE. BENE. MERITO. ET. INDIES.  
BENE. MERENTI.

PARENTI. CARISSIMO.

ET.

OMNI. OBSERVANTIA. FILLALI. AD. CINERES.  
VS QVE. COLENDO.

AD  
TITULUM SVON DIRECTORIS  
VIRI RERVM  
D. M. JACOB. STAALKOHEVM  
2. THEOL. SACR.

## SYNOPSIS. DISSERTA- TIONIS.

**P**aragraphis duobus prioribus Prooemii nices sustinentibus, de Spinozismo ante Spinozam obiter agitur et instituti ratio declaratur. Sectionis uero Prioris §. I. Scriptores uitae Spinozae enumerat, ac nonnulla digressionis loco de Exercitatione paradoxa affert. II. et III. iudicia eruditorum de Spinoza colligit. IV. V. et VI. Aduersarios eiusdem quotquot inueniri potuerunt enumerat. VII. VIII. IX. X. XI. et XII. KVFFELERVM, BYRMANNVM, STOSCHIVM, LEENHOFIVM, CABBALLISTAS, VVACHERVM, THOMASIVM, et PIETISTAS in scenam producit. Sectionis Posterioris §. Imo praeparatio ad tractationem articuli de creatione traditur, qui ipse §graphis II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. et XIII. paucis proponitur. §. XIV. XV. XVI. XVII. ac demum XVIII. ad obiectiones Aduersariorum respondetur, atque sic Dissertationi finis imponitur.



AD.  
FILIOS. SVOS. DILECTISSIMOS.  
PER-REVERENDVM.  
DN. M. IACOB. STAALKOPFFIVM.  
S. THEOL. BACCAL.  
ET.  
NOBILISSIMVM. IUVENEM.  
DN. BURCHARDVM GRAMMANNVM.  
IO. FRID. MAYER. D.

**D**Um in eo sum, ut ad cunas Seruatoris nostri inui-  
tem Auditores, ad Academicam cathedram me  
uocatis, *Filii Dilectissimi*. Laudo pietatem uestram,  
quae his diebus sacris & in concione ad populum & ex  
suggestu Academico ad studiosam Iuuentutem IESUM  
loquitur, illumque asserit: laudo mentis uestrae uigo-  
rem qui DEI adiutus fauore utrumque grauiter ac per-  
pulchre potest. Certè mi *Staal kopff* non nisi exquisitis-  
simis perfusus gaudiis in utraque Cathedra te intueor,  
audio, et Tuæ, *mi Grammanne*, morum probitati, eru-  
ditioni, studiorum assiduitati ac pertinaciae eosdem  
non possum non promittere plausus. Ego cum Eccle-  
siae solatio uos natos esse uideam ac quotidie experiar,  
Patrocinium Academicum non solum aduersus hostes  
Christi infensissimos *Spinosae similes*, promptus uobis etiam  
inter solennes sacrorum curas offero, sed me ipsum o-  
mniaque quae mea sunt, aut esse possunt, usibus uestris  
dedico. DEVS uos seruet Iuuenes rectissimi exempli,  
Academiae nostrae ornamenta. Scribeb. in Vigil. Fe-  
sti Natiuitatis Christi, 24. Dec. Ao. 1708.

VIRO.

V I R O.

*Perquam. Reuerendo. atque. Praeclarissimo.*  
DN. MAG. IACOBO. STAALKOPFF.

S. S. Theol. Baccalaureo. longe. Dignissimo.

*Fautori. et. Amico. suo. Archetypo.*

S. P. D.

GEORGIUS. G. VVALLIN. Suecus.

**S**i quid in uniuersa rerum humanarum natura uarias uices et uicissitudines  
experitur, omnino vera est amicitia, omni quidem ex parte iucunda alias,  
suauis atque beara, sed eo tamen nomine infelicissima, quod illi ipsi, qui  
in unam quasi animam olim coaluerunt, immensis nunc terrarum mariumque  
tractibus, illatâ quasi ipsi naturæ ui et uolentia, cogantur disiungi, et quidem  
ita, ut nulla sæpe, aut plane exigua coniunctionis iterum in hac mortalitate  
spes sit residua. Hinc praeclara sane et perelegans à sapientibus olim Hebræ-  
is, tanquam communis huic amicorum morbo medela, Lex instituta legitur in  
*Erubin*; לא יפטר אדם מחבירו אלא מתוך דבר הלכם i. e. *Nemo à socio discedat, nisi intermedium aliquod  
sapiens sit dictum, sic enim eueniet, ut semper sui seruet memoriam.*  
Hoc ipsam est, Amicissime mortalium, quod mihi in mentem ueniebat, cum  
nostram amicitiam in PARNASSO hocce GRYPHICO, ipso Apolline totoque  
Musarum Choro quasi annuentibus, fundatam, summa cum animi uoluptate  
à nobis hucusque praesentibus cultam, breui autem uehementi motu concu-  
tiendam cogitarem. Constitui igitur lineas quasdam exarare mei erga Te a-  
nimi non tantum extituras testes; uerum etiam custodes apud Te memori-  
am imaginemque meam in perpetuo flore conseruatuos. Et quamuis satis  
superque sciam amorem Tuum generosorem magisque ingenuum esse quam  
ut absentia nostra dissolutus pereat plane et euanescat, quin potius fluuios me-  
cum transnaturum, in montibus cursurum libere, non enim sicut Agyrta me-  
dicum, Sycophanta Oratorem, Sophista Philosophum, ita Tu amicum egisti  
uel simulasti, *sed ita amare incepisti, tanquam non licuerit desinere*, ut inquit  
*Seneca*, quamuis, inquam, nihil hoc ipso certius animo meo infixum esse pos-  
sit, non possum tamen exaestuantis amoris mei erga Te temperare flammis,  
quin extra angusta pectoris mei claustra, quibus inclusae hactenus latuere, in  
publicum nunc plenumque erumpant incendium. Equidem non grauarer et-  
iam hac occasione, sed uellem potius omnem curam operamque laudibus Tu-  
is enarrandis impendere, si scirem uspiam, quod Jonathanem suum Dauid,  
Damonem Pythias, Pylademque Orestes mutuis excepissent encomiis. Et si  
uel maxime personam amici hac de ratione exuerem, quis mihi Demosthenis  
suadam aut Ciceronis facundiam mutuabit? Nulla est in TE uirtus, quae non  
plenum Oratorem exoptulat, nullae TIBI de coelo concessae animi dotes,  
quae humanas non uidentur excedere laudes. Quid? si dixerim tandem TE  
nomen IACOBI felicissimo omine accepisse. Agnoscet hoc impia et sacrile-  
ga

ga caterua ATHEORVM, quorum IACOB tot iam conflictibus enasisti: agnoscent hoc quotquot credunt et colunt DEVM conditorem coeli et terrae, cuius gloriam quaesivisti, cuius egisti causam et bella gessisti forriter, VICTORIAMQVE, tanquam ISRAEL. reportasti. Quid igitur superest, nisi ut, sicuti nominis, ita et omnium bonorum ac felicitatum IACOBI felicissimus constituaris haeres? Faxit Numen! χαίρε φίλον Φῶς.

CLARISSIMO. ATQVE. ERVDTISSIMO.  
DN. BURCHARDO. GRAMMANNO.  
DIVINIORIS. DISCIPLINAE. CVLTORI.  
LONGE. SOLERTISSIMO.

RESPONDENTI. SVO. AESTVMATISSIMO. NEC. NON. FAVORI.  
ATQVE. AMICO. MVLTIS. NOMINIBVS. COLENDO.

S. P. D.

IACOBVS. STAALKOPFF.  
PRAESES.

Quoties Tuam, amicissime GRAMMANNE, rari exempli industriam paulo diligentius ac curatius mente perpendo, non possum non eandem attonitus mirari. Solem pellucidissimo iubare suo totam hanc rerum uniuersitatem mire illustrantem, ac indefesso munia sua quotidie obeuntem cursu insigni cum uoluptate spectamus. Idem in TE cordati quiuis abunde satis deprehendunt. Assiduus quippe, imo totus es in actionibus honestis et cum laude haud uulgari conuulsi omni procul remota cessatione patrandis. Testantur ea de re uariae et rerum pondere graues, et uerborum luminibus dicendique ueneribus nitentes, Sacrae Orationes, quas uniuersis bonis, ac factorum laudibus dignorum aestimatoribus aequis congratulantibus, ex suggestu Sacro, ad populum purioribus a diuino VIRO, MARTINO LVTHERO instauratis addictum Sacris habuisti. Testantur id Dissertationes sub moderamine ILLUSTRIS AC REVERENDISSIMI GAMALIELIS NOSTRI masculae a TE defensae. Testatur illud praesens, quem in TE tuendum suscipis labor. Quinimo testimonium amplissimum isthoc de negotio perhibebit, eruditum istud, quod propediem TE AVTORE de IO. CLERICO, prodibit schediasma literarium. Ego proinde uti TVVS totus sum, supremum Numen supplex indefessis ueneror precibus, ut TIBI cuncta prospera, fausta et felicia euenire iubeat. Arbitrator Orbis Patronos saluti TVAE serio cupientes TIBI conciliet, TEQVE iis abunde ornet, quae unquam ardentissimis ab immortalis Numine uotis contendere poteris. VALE!

•••••



EXERCITATIO.  
HISTORICO - THEOLOGICA.  
DE.  
SPINOZISMO.  
POST.  
SPINOZAM.

IESV. SECVNDATE.

I.



Reverendam BENEDICTI DE SPINOZA impietatem non demum in illo primam adspexisse lucem, verum diu ante eundem obstetricante ingenii humani stulticia, dicam an insania? prognatam esse, eruditorum non pauci uno ore fatentur. Primum inter eos locum ni totus fallor, meretur, uir magnorum equidem in rem litterariam meritorum, ad Scepticismum nihilominus et irreligiositatem iusto pronioris animi PETRVS BAEIVS Dist. Historico-Critico passim. Secutus est illum et ex eius fontibus sua irrigauit arua DN. D. I. F. BVDDDEVS in Dissertatione de Spinozismo ante Spinozam, alios inpraesens ut taceam. Et quid in re clara, aperta ac perspicua opus est cumulo testimoniorum? Ipse quippe spinosus spinosae et Philosophiae et Theologiae

A

logiae confarcinator expressis idipsum uerbis, facta ad Cabballistas et antiquiores Philosophos prouocatione est confessus Ep. XXI.

## II.

Quapropter negotio huic animus non est immorari, etsi post largam uirorum quos nominavi celeberrimorum messem, haud adeo fortassis contemnendum restare spicilegium uideatur. Id potius mearum esse partium arbitror, ut in Spinozismi ceu detestandae matris nefandam progeniem pro uiribus inquiram, impuros turbulenti maris contempler fluuios et pestiferos maledictae arboris considerem fructus. Tali ratione pestilentissimum quoque impietatis Spinositicae uenenum in illo ipso tot ac tam uariis coloribus picto Pietismo mira quadam restitutione, et Fanaticis adeo impense impotenter tamen amata reuolutione, luxuriare deprehendetur. Ne uero nocentissimum uirus sine ullo antidoto imprudentius paulo lectoribus propinasse uidear, placet in duas leuidensem hancce opellam distribuere partes, quarum altera historica, altera autem ex aduersa parte dogmatica erit. Faxit Benignissimum Numen, ut feliciter cadat alea!

## SECTIO. PRIOR. HISTORICA.

## I.

**S**Vrculos contemplaturus, arboris pariter rationem habere debet, quoniam illi ex hac originem trahunt, atque intima eidem iuncti sunt cognatione. Quemadmodum enim arbores ex radicibus auxilio pinguedinis terrae, et benignae aeris atque coeli temperiei insigni cum spectatorum uoluptate indies magis magisque ac laetius efflorescunt; ita uicissim frondes ex ramis, arboreque feliciter progerminant. In methodi regulas eapropter me nil prorsus peccatum esse confido, si paucis deformitatem arboris cum radice eiusdem, nempe **BENEDICTI DE SPINOZA**, ex Virorum Clarissimorum iudiciis palpanda proponatur, quo deinceps cognita arbore, eo  
recti-

rectiorem de fructibus eiusdem ferre liceat sententiam. His iam ero contentus, cum pleniorum uitae Athei nostri enarrationem ex PETRO BAE LIO, AVTORE PRAEFATIONIS IN OPERA EIVSDEM POSTHVMA (a) V. E. LOESCHERO, IO. COLERO, SEBASTIANO KORTHOLTO, HENRICO LVDO LFO BENTHEMIO, FRIDERICO ERNESTO KETTNERO, DANIELE HARTNACCIO, F. HALMA, GOTTLÖB FRIDERICO IENICHEN, NATHANAELE FALKIO, HERMANNO SVDIO, GODOFREDO ARNOLDO, AVTORE PANTHEI ENTHVSI-ASTICI, aliis, haurire cuilibet sit integrum.

- (\*) Teste Maxime - Reuerendo DN. HENRICO LVDO LFO BENTHEMIO in Hessändischen Kirchen- und Schulen-Staat/P. II. Cap. IV. p. 352. praefationem in Opera Spinofae posthuma composuit nonnemo Mennonistarum haeresi addictus, quam deinceps ciuitate latina donauit LVDOVICVS MEIERS Medicus Amstelodamensis, qui quamplurimis etiam creditur esse Autor Exercitationis fati paradoxae de Philosophia Scripturae interprete, etsi alii alios nominent. In diuersa quippe abeunt circa hanc litem definiendam Scriptores, nonnullis impium hunc foetum Spinofae, aliis LVDOVICO VVOLZOGENIO, aliis vicissim LAMBERTO VELTHVSIO adscribentibus. Laudatus uero antea Benthemius in eam maxime pronus est sententiam, quae in turbulento malefani Amstelodamensium Medici ingenio, incunabula scriptionis huius quaerit. Ceterum magnas liber iste in Belgio praecipue excitauit turbas. PETRVS SERARIVS quippe, REINERVS VOGELSANGIUS, PETRVS VAN MA-STRICHT, GERARDVS de VRIES, NICOLAUS ARNOLDVS & LVDOVICVS VVOLZOGIUS scriptis suis eundem aggredi non dubitarunt. At enim uero Wolzogenius propter frigidam libelli confutationem, suspitionem incurrit, ac si ipse Autor esset scriptionis istius execrandae, quam tamen imputationem conatus est a se, editione libri de orthodoxa fide amoliri. Nihilominus uero uariis impetitus est scriptis. Ecclesia enim Gallo-Belgica Medioburgensis, animaduersiones et censuras Theologicas aduersus positiones eiusdem cum Orbe erudito communicauit. Prostant quoque: Jugemens de plusieurs Professeurs et Docteurs en Theologie orthodoxe sur le liure de Louys de Wolzogen de l'Interprete, de l'Ecriture Amstel. 1669.
4. Praeterea tres adhuc aduersus eundem insurrexerunt Aduersariis

rii Io. van der Wayen nempe, IO. BROVN et IACOBVS KOELMANN. Confer FRIDERICVM SPANHEMIVM Filium T. III. Opp. p. 999. et V. CL. THOMAM CRENVIVM T. VIII. Animaduersionum Historico Philologicarum p. 173. seqq. ubi insimul obseruat Medicum istum Amstelodamensem, Ludouicum Meyerum praefatum esse in Renati des Cartes Principiorum Philosophiae P. I. et II. more geometrico demonstratas per Benedictum de Spinoza Amstelodamensem, editasque Amstel. 1663. 4.

## II.

Dum igitur in praesenti totus sum in colligendis quibusdam, CL. Virorum de Spinosa iudiciis, primo statim loco mihi occurrit, Vir dum uiueret summus B. MORHOVIUS sequentem de Spinosae impiis scriptionibus sententiam ferens: Quid est Benedicti Spinosae libris pestilentius? et hi tamen ubique triumphant. Annon tractatus eius theologico politicus omnem eleuat librorum sacrorum diuinam fidem? Annon miracula omnia explodit et exhibilat? Eius Ethica illa Atheismi principia tam nude exponit, quanquam subtiliter et argute, ut imbecillos animos facile capere possit. etc. Polyhist. T. I. Libro I. Cap. VIII. Nec aliud omnes ferme literae ac syllabae commentationis KORTHOLTI de tribus Impostoribus et quidem P. III. loquuntur, ut FALKIVM in Daemonologia, alios, taceam. Silentio tamen non prorsus praeterire potero ea, quae B. IO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS de hoc portento hominis ex propria experientia Dissert. III. T. I. Phil. Eclecticae n. 12. p. 164. scripsit, eapropter lectori pio et cordato ista legenda esse suadeo, una cum n. 11. utpote in quo, de Autore tractatus theologico-politici iudicat, quod in scriptione eiusdem ne scintilla quidem politicae prudentiae, nedum theologicae ueritatis, sed ea principia reperiantur, quae utramque pessundatura essent, si uires eundo acquirerent quam certissime.

## III.

Mitius his non tulit iudicium IO. HENRICVS HEIDEGGERVS sequentem in modum differens: Stoicorum gentili-um impietatem, ex orco, Vaninus, profligatissimae mentis Atheus, et eiusdem uestigiis non ita pridem insistens, Benedictus

dictus Spinoza, ex Iudaeo Christianus, ex Christiano post liminio gentilis factus, locutus Apostasiam a Iehoua DEO, qui Israëlem eduxit ex terra Aegypti Deut. XIII, 5. resuscitauit etc. Corp. Theol. Christianae Libr. IV. §. VII. p. 107. Assensum huic praebet celeberrimus VRIESIVS uniuersam Spinosae philosophationem relictum aliquem Atheismum PLINII [a] appellans. Exercit. IV. Exercit. Rat. Neque alienus a Vriesii sententia CHRISTOPHRVS VVITTICHIVS est, inquiens: Huc nos ducit totum Systema Spinozae, ut credamus mundum esse Deum, sicque uerum Deum abnegemus p. 9. Anti-Spinozae. Id quod HASSELIVS pariter in praefatione ad librum iam iam citatum fatetur. Eodem quoque redit iudicium Autoris Epistolae XLVIII. inter Spinosae epistolas reperiundae, eum Deista peiorem pronunciantis et clam tectis ac fucatis argumentis merum Atheismum docere asserentis. Idem STAIRIVS sentit: Execrabilis ille Atheus Spinoza dicens, a deo impudens est, ut affirmet omnia esse absolute necessaria, et nihil quod est, fuit, aut erit, aliter fieri potuisse, in quo omnes superiores Atheos excessit, aperte negans omnem deitatem, nihilque praeter potentias naturae agnoscens, in Physiologia noua Experimentalis Explorat. I. Postulato IV. p. 16.

(a) PLINII historiae Naturalis conditoris sat celebris, ad quae fortassis respexit VRIESIVS, sequentia sunt uerba: Mundum, & hoc quod alio nomine coelum appellare licet, cuius circumflexu reguntur cuncta, Numen esse, credi par est, aeternum, immensum, neque genitum, neque interitum unquam, cuius extera indagare nec interest hominum, nec capit humanae coniectura mentis. Sacer est, aeternus, immensus, totus in toto, imo uero ipse totum, finitus et infinito similis; omnium rerum certus et similis incerto; extra intra cuncta complexus in se, idemque et rerum naturae opus et rerum ipsa natura. Libr. II. Hist. Nat. Cap. I. p. 16. Editionis Parisiensis, quam in usum Serenissimi Delphini IO. HARDVINVS Societatis IESV Theologus A. 1685. 4. edi curauit.

IV.

Eant nunc Praefator in Opera Spinosi Philosophi posthuma, ARNOLDVS, VVACHTERVS, alii, eant inquam isti fabularum magistri, nugarum architecti et mendaciorum defen-



defensores, perfricent frontem si quam habent, eo quod benignioribus suis de monstro hominis iudiciis apertam ueritati inferre uim nulli dubitarunt. Rationes quippe eorum nimis sunt infirmae, uti alibi a me pro uiribus demonstratum, adeo ut in sententia potius confirmet, tantum abest ut dimoueat. Hominis cordati est, scapham scapham appellare, neque aliquid uel odio uel amori; sed omnia potius soli unice ueritati dare. Laudem ergo merentur amplissimam illi, qui mascule impiis Spinozae cogitatis sese opposuerunt, Laudauit ea propter alio loco REGNERVM à MANSVELD, IO. BREDENBURGIUM, PETRUM DANIELEM HVETIUM, HERMANNVM VVITSIUM, IO. HENRICVM HEIDEGGERVM. IO. MVSAEVM (a) IACOBVM BATALERIUM, CHRISTIANVM KORTHOLTVM, LAMBERTVM VELTHUSIUM, PETRUM POIRETVM, CHRISTOPHORVM VVITTICHIVM, IO. FRANCISCVM BVDDEVM, GVILELMVM BLYENBERGHIVM (b) HENRICVM MORVM, ISAACVM IACQUELOTVM, IO. GEORGIVM VVACHTERVM, FRANCISCVM LAMIVM, IACOBVM ABBADIVM, et qui quodammodo huc referri poterit, FRANCISCVM CVPERVM. Addidit his IENICHENIVS in historia Spinozismi Leenhoofiani SALOMONEM uan TILL, de la MOTHE, VASSORIVM, PETRUM YVONEM, MELCHIOREM LEYDEKKEVRVM, PETRUM uan MASTRICHT, IENSIUM, GVILELMVM DEVRHOFIVM, VERSEVM, IO. COLERVM, FRIDERICVM RAPPOLTVM, et IO. CONRADVM DÜRRIVM.

- (a) Theologus hicce post fata clarissimus in Introductione in Theologiam P. II. Cap. V. p. 394. seqq. egregie quoque pro miraculis aduersus Spinosam disputauit.
- (b) Variis contra Atheos & Spinozam editis scriptis notus est mercator hic Barauus. Prostant quippe eiusdem Kennisse Goddes en Goddesdeent teegens de Atheisten Lugd. B. 1671. 12. item Wedderlegginge van de Ethica van Spinoza Dordrecht 1682. 4. item <sup>3</sup>moni zensicht de Atheisterey teegens B. de Spinoza. Ienichenius quoque l. c. p. 6. mentionem facit opusculi cuiusdam a Blyenberg-

berghio elaborati de ueritate Religionis Christianae, Spinofae  
oppositi, quod A. 1674. Lugduni Batavorum prodierit.

## V.

Praeter hos omnes uero, summa cum laude in conuel-  
lendis malefani Spinofae impiis positionibus uersati sunt Il-  
lustris PRO-CANCELLARIVS noster in praelectionibus pub-  
licis Kilonii habitis, de quibus testatur Programma in Dissert-  
tationibus selectis n. XII, p. 418. reperiendum et in Disserta-  
tione de Autographis Biblicis §. II, seqq. B. IVSTVS CHRIS-  
STOPHORVS SCHOMERVS in Collegio nouissimarum  
Controuersiarum Cap. I. p. 7. seqq. Cap. II. p. 14. seqq. et in  
Theologia Morali Cap. III. p. 72. seq. Cap. IV. p. 97. et p. 101.  
Cap. VI. p. 209. Magnificus DN. D. CASPAR LOESCHERVS  
in Disp. de glorioso animarum coelo §. 25.-31. Summe-Vene-  
randus DN. D. IO. GEORGIVS NEVMANNVS in Pro-  
grammatibus nuper editis num. XXI. p. 151. D. MICHAEL  
FOERTSCHIVS p. 1. Select. Theol. p. 35. seqq. B. IO. CHRIS-  
STOPH. STVRMIVS T. II. Phil. Ecclēticae p. 370. seqq. B.  
NATHANAEL FALCKIVS in Daemonologia Dissert. III. B. I. A.  
COBVS THOMASIVS in peculiari Programme, quod in-  
uenitur in Dissertationibus eius a Consultissimo Filio Halae  
A. 1693. 8. editis, nec non Celeberrimus DN. D. V. E. LOE-  
SCHERVS in Praenotionibus Theologicis passim, ut in prae-  
fenti de SALOMONE DEYLINGIO in Obseruationibus Sa-  
cris IMMANVELE PROELEO in Religione demonstrata et  
uindicata, aliis, nihil dicam.

## VI.

Reformatos inter et Pontificios idem praestiterunt FRI-  
DERICVS SPANHEMIVS Filius Tom. III. Opp. p. 1295. NE-  
HEMIAS GREVV. in Cosmologia Sacra Libro. IV. Cap. III.  
IO. MEYERVS Dissert. Theologica qua Propheticas uisiones  
Ezechielis nouem extremis Capitibus contentas, nondum im-  
pletas; sed olim implendas esse demonstratur p. 13. HENRI-  
CVS HORCHIVS in Octionario Inuestigationum Theologi-  
carum circa origines rerum ex Deo. SAMVEL CLARKIVS  
in Demonstratione existentiae Dei et Diuinorum attributo-  
rum,

rum, BERNARDVS LAMY Dialogo II. Demonstrationis ueritatis Ethicae Christianae Cap. II. et V. alii.

## VII.

Paucis itaque iam considerata arbore de fructibus quos tulit illa, inpraesenti quoque agendum esse quilibet uel me tacente satis superque per se uidet. Interpretem uero et discipulum Spinosaе ferunt esse KVFFELERVM, in specimine artis ratiocinandi et Principiis Panosophiae, libro admodum raro, nec mihi haecenus uiso. Nonnulla tamen ex eodem excerpfit nunquam sine laude nominandus V. E. LOESCHERVS in Prae-Not. Theol. p. 71. et 120.

## VIII.

Kuffelerus igitur agmen inter eos ducat, qui in nonnullis periculosa malefani Spinosaе uestigia premere nulli dubitarunt. Quorum non adeo parua aut exigua datur seges, ut etiam mirandum sit impia profani hominis commenta tam multis potuisse placere. FRANCISCVM BVRMANNVM huc pariter refert PHILIPPVS à LIMBORCH Arminianorum Doctor Celeberrimus Theol. Christianae libro II. Cap. XV. §. 6. 7. 8. & 9. AVTOREM Berolinensem quoque concordiae rationis & fidei, qui STOSCHIVS esse perhibetur, in hunc censum uenire, notius est, quam ut a me fuisse meretur commemorari. Eo ipso quippe, dum hominem partem uniuersi & modum substantiae diuinae salutauit, res omnes creatas, modos, & Atomos speciatim particulas essentiae Supremi Numinis appellauit, nulla plane ratione imputationem Spinozismi ab eodem licet amoliri.

## IX.

Stoschium excipiat FRIDERICVS van LEENHOFF, homo reformatae addictus religioni et Minister Ecclesiae Zwollensis. Edidit iste tria scripta, propter quae, in hanc compingi classem meretur, sub titulo *coeli in terra, demubilationis huius coeli et breuis responsionis ad obiectiones suorum Adversariorum*. Clariora haec fiat L. B. si ille CL. GOTTLABI FRIDERICI IENICHENII historiam Spinozismi Leenhofiani Ao. 1707. 8. editam conferre haud grauetur. Duobus

bus scriptio illa absolvitur capitibus, quorum alterum de Spinozismo generatim praecipit, alterum vero Leenhöfii Spinozismum speciatim ex Actis publicis excutiendum sibi sumit. Prolixiorem illius recensionem dare supersedeo, praecipue cum liber in omnium ferme manibus versetur, ac praeterea etiam Lipsienses pro more suo h. e. erudite ac copiose satis provincia ista sint defuncti Mense Julio A. 1707. p. 328. seqq.

## X.

Neque a turpi Spinozismi labe immunes pronunciari poterunt CABBALISTAE, teste I. G. VVACHTERO in Spinozismo Iudaico et Elucidario Cabbalistico. Vtinam vero rectius sibi prospexisset ipsemet CL. VVACHTERVS; Ast malitiam eiusdem hoc in negotio, cordati omnes dolent, et non sine gemitibus recordantur, eum antea in confutando Spinozismo laudabiliter versatum, iam in execrandum ac profundissimum istius barathrum tristi casu cecidisse. Celeberrimus quippe V. E. LOESCHERVS Autor est, illum docere, quicquid existat, esse Deum externum, etsi non sit interitus. Praenot. Theol. p. 82. Inpraesens saltem attendendum erit, ad eiusdem Origines Iuris Naturalis, siue de iure humanae Naturae Demonstrationes Mathematicas Berolini A. 1704. 4. editas. Postulatum quippe primum sequentis est tenoris: Rerum naturalium potentia, qua existunt et operantur est potentia Dei. Male vero me habet illud, cum Spinozismi vestigia luculenter satis in eodem deprehendantur. Colligo enim: Rerum naturalium potentia est potentia Dei, Dei potentia est Dei essentia, E. rerum naturalium potentia est Dei essentia. Clariora his sunt, quando p. 13. mens humana, pars infiniti et aeterni intellectus Dei salutatur, homo itidem p. 17. pars uniuersi appellatur. VALENTINVM VVEIGELIVM et IACOBVM BOEHMIVM pariter huc spectare, contra DN. D. I. F. BVDDEVN Exercit. Theol. in Oraculum Paulinum Act. XVII, 28. *Per DEVM sumus, uiuimus et mouemur.* §. XIX. probauit. Ad alios ergo iam iam est pergendum.

## B

## XI.

## XI.

Occurrit autem celeberrimus Ictus, CHRISTIANVS THOMASIVS, admodum mire creationem definiens, per aeternum, quo Deus creaturas hactenus in ipso occultatas ex nihilo extendit Confess. Thesi 94. et in tentamine de essentia Spiritus, omnia EX DEO etiam materiam esse, perhibens Cap. V. Thesi 65. Omittendi quoque non erunt, quibus hi flosculi semper in ore uersantur: mentem humanam esse particulam diuinae aerae, quia phrasis haec crassum sapit Stoicismum, et quod inde sequitur crassiorem adhuc spirat Spinozismum. Varios ita loquentes adduxit Amplissimus DN. Prof. G.F. SCHROOERVS in dissertatione de mente hominum diuina Vitembergae A. 1707. habita.

## XII.

Restant adhuc sub examen uocandi moderni Nouatores, quos a praepostero pietatis studio PIETISTAS moris est appellare. Vti uero hi homines IACOBVM PHILIPPVM SPENNERVM sectae suae uenerantur Autorem, ita nec miraberis L. B. et illum in scenam a me inpraesens produci. Haud inuitus equidem largior, id ipsum insigni cum animi moerore a me fieri, cum nullus temere reperiatur, qui non diuinas huius Viri dotes attonitus mecum miretur. At enim uero sincera et infucata plane ueritas, maiorem reuerentiam ac promptius obsequium suo iure postulat. Iudicem cito quemlibet cordatum, ut suam de his quae iam sequuntur uerbis ferat sententiam. *Was sich guts in den Creaturen findet, ist NB. ein Ausfluß aus Gott. Die Geschöpfe haben ihr Wesen von Gott, und NB. aus Gott. Item die Geschöpfe sind nur einige NB. Ausflüsse seiner Allmacht.* Eodem modo loquuntur alii, ARNOLDVS, DIPPELIVS, AVTOR Theologiae Christianae in numeris etc. ad quos iam iam pariter progrederer, ni solidissime hanc materiam a Venerando V.E. LOESCHERO tum in relationibus nou. antiquis Anni 1703. p. 423. seqq. tum in Praenotionibus Theol. p. 87. seq. tractatam inuenissem. Viro itaque huic celeberrimo

rimo sincera mente applaudo, mihi que de facto liberaliter otio uehementer gratulor.

## SECTIO. POSTERIOR. DOGMATICA.

### I.

**V**idimus igitur iam, uarios in periculoso admodum cum malefano Spinoſa haerere luto, quos tamen omnes pari loco nolim haberi. SPENERVM e. gr. nimis ſaltem incaute locutum eſſe arbitror, quamuis nec hoc excuſationem; ſed grauem potius animaduerſionem in Theologo potiffimum mereatur, utpote qui, ſuadente Apoſtolo obſeruare debet *ὑποτάσσῃν ἑγὼ τῶν λόγων* 2. Tim. I, 13. Non enim ſufficit bene ſentire, uerum imprimis etiam requiritur, ut recte ac ſumma cautione adhibita loquamur. Meum ergo nunc erit, ea, quae ſuperiori ſeſſione recenſui, ad Scripturam diuinitus inſpiratam, ceu lapidem lydium examinare. Fiet uero illud quam commodiffime, quantum ego quidem iudico, ſi articulus de creatione paucis perluftratur, et ualide demonſtretur DEVM et MYNDVM reipſa differre, uno uerbo, ſi EMANATIO reiiciatur et ueri nominis CREATIO ſtabiliatur.

### II.

Creationis autem uocabulo mihi nihil aliud quam actionem Supremi Numinis, qua ex nihilo omnia produxit, quaecunque extra illud dantur, uenire, cuiſlibet notum ſatis eſt atque perſeſſum. Neminem quoque facile fugiet, de creatione non ſecunda; uerum prima mihi hoc loco eſſe ſermonem. Inſinitam uero ſtupenda haec actio poſtulat potentiam, neque ab agentibus perfectionum ſuarum limites agnoſcentibus ulla ratione poteſt exantlari. Adeo celfa quippe ac ſublumis eſt haecce Dei operatio, ut etiam ſumma cum confidentia affirmare nullus dubitem, nullius tantum eſſe flumen ingenii (liceat mihi cum TVLLIO tantisper loqui) nullam dicendi aut ſcriben-

bendi tantam uim, tantamque copiam, quae non dicam exornare; sed enarrare saltem praestantiam eiusdem possit. Alias illud extra omnem dubitationis aleam est positum, homines plura longe uerbis proferre ac sermone exponere, quam re ipsa praestare posse, cum uero in diuinae rerum omnium productionis luculentiori paulo depraedicatione, silere cogatur inops nimis hominum dicendi facultas, et calamus etiam excellentiam eiusdem scribendo nedum adumbrare quidem ualeat, illa mentes nostras longe superans benignissimi Conditoris omnipotentia supplicibus ueneranda est precibus, et pia unice ac deuota prosequenda uenit colendi ratione. Sotius Dei est condere, et ex nihilo tam uenusta ac concinna ratione creaturas effingere. Sibi enim soli hoc uindicat teste piissimo Vate ESAIA Cap. XLIV, 24. Ego sum Iehouah faciens omnia, et extendens coelos, solus expandens terram per me ipsum. Absit ergo longissime à nobis, ut atomorum fortuitae concursioni effectorem mundi cum nonnullis, qui e quidem mire sibi met ipsis sapere uidentur, re ipsa uero pueriliter ineptiunt, adscribamus, cum elegans illa rerum conditarum dispositio, facile commentum illud prorsus irrationale postulare falsitatis, quinimo conuincere pariter queat. Profecto si homines isti, quorum fictionibus iusto liberioribus placitum hoc originem suam debet, uel unam fani cerebri Atomum habuissent, nunquam fortasse adeo enormiter delirassent.

## III.

Rectiora ex Sacro Codice edocti sumus, adeoque fide diuina credimus, omnes tres personas SS. Triados, ad admirandum creationis opus concurrisse. Vates quippe regius expressis id ipsam edisseruit uerbis Hymno XXXIII. 6. uerbo Domini coeli firmati sunt, & spiritu oris omnis exercitus eorum. Et si autem simul operatae sint tres hae personae, propterea tamen causas socias easdem appellare, nefas est, quia unitas essentiae et concursus appellationem hanc non admittit.

## IV.

## IV.

Intimior autem creationis essentia adhuc exponenda restat, atque adeo ostendendum, in quo illa praecipue consistat. Scripturae id clare satis docent, asserentes, supremum huius uniuersitatis rectorem omnes tam uisibiles, quam inuisibiles, tam cogitantes quam extensas res omnipotenti iussione sua ex nihilo produxisse. Caue tamen ne offendaris phrasi ex nihilo, non enim ista materia creaturarum τὸ nihil esse uenditur, sed saltem ostenditur terminus a quo creationis, ut adeo sensus sit sequens: DEVM cum nihil omnino fuerit, omnia citra ullam praeeistentem materiam produxisse. Sed Atheos peruulgatum istud: Ex nihilo nihil fit, occinere mihi audio, aut si id uelint, nihil plane nisi ex praeeistenti materia effici posse, petunt id quod est in principio. Aliud enim est, si de potentia finita loquamur, aliud ex aduersa parte, si de infinita sermo sit. Ens finitum terminos suae realitatis et perfectionis agnoscens, nihil, nisi ex materia quadam producere posse ingenuus fateor; uerum ut idem de insigni captumque nostrum infinities transcendente supremi Numinis potentia sentiam, religio et sana quoque prohibet ratio. Praeterea in subsidium etiam uocari poterit doctissima effati huius explicatio, quam Gerardus de Vries Exercit. XXIII. Exercit. Rat. p. 182. tradidit. Sequentis autem ista est tenoris: *Ex nihilo nihil fit; quatenus scilicet ex nihilo, per ipsum nihilum, sine uirtute ipsius nibili, nihil produci potest; nihilque adeo alicuius principium esse nequit.* Vnde patet CL. uirum πολυθεύλλητου hoc, non tam de materia, quam potius de efficiente capere. Atque tali ratione si accipiatur, facillimo negotio id largiemur Atheo, neque tamen ille quicquam ex eodem aduersus causam Dei colligere poterit.

## V.

Afferenda iam erunt; sed paucis argumenta Scripturae demonstrantia, mundum tunc cum nullum reale Ens praeter Deum existeret, esse conditum. Testem itaque cito Panosophum illum celeberrimum, Oceanum istum Prophetarum, illum



illum Anti-Scripturariis et Naturalistis adeo exosum Mosen, cuius tamen scripta aduersus portas inferorum praeualebunt et felicissime ad finem usque seculi perennabunt. Prouoco ad prima eius, qui rerum omnium genesin tradit libri uerba: In principio creauit Deus coelum et terram. Robur argumenti eo redit: praeter coelum et terram nullam antea extitisse materiam, quia haec condita leguntur in principio. Si uero materia praeextitisset, Moses uir θεόπνευστος ac sapientissimus non potuisset dicere in principio; sed potius post principium factam creationem asserere debuisset, eo quod materia praeexistens fuerit principium. Mose adiungam Apostolum Hebr. XI, 3. asserentem: πίσει νοῦμεν κατήγητοῦται τῆς αἰῶνας ἐήματι Θεῶ, εἰς τὸ μὴ ἐκ Φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Quod Oraculum paulo pressius sum persecuturus. Mentio quippe in eodem fit α) principii cognoscendi, articuli de creatione, β) causae efficientis eiusdem, γ) formalis rationis,

## VI.

Principium cognoscendi indigitatur nomine fidei: πίσει νοῦμεν, adeoque de Scriptura Sacra asseritur, quod illa eiusmodi principium sit. Fides quippe ceu χάρισμα Spiritus Sancti, per uerbum in homine suscitatur, et pariter circa uerbum tanquam suum obiectum uersatur, unde distinctiones inter fidem credentem et creditam, qua creditur et quae creditur, subiectiuam et obiectiuam, saluificam et dogmaticam ortae sunt. Quae ita à se inuicem differunt, ut fides saluifica sit fiducialis illa promissionum gratuitarum apprehensio, dogmatica uero ex ipsis illis promissionibus ac doctrinis in sacro codice reperiendis constet. Distant ergo ut fundamentum et fundamento superstructum, dogmatica est fundamentum, saluifica fundatum, differunt ut prius et posterius, dogmatica prior, saluifica posterior est. Haec quippe mater foecunda est, saluificam fidem in regentis pariens, haec, arbor suauissima iure appellatur, ex qua dulcissimi fiduciae progerminant fructus, haec, inexhaustus plane misericordiae diuinae Oceanus est, ex quo pellucidissimi emanant fidei saluificae riuuli. Haec, cum limpidissimis Israelis fon-

fontibus scitissime contendi potest, in quibus homo fidelis dulcissimum Seruatorem et sanguine eius parta beneficia sitiens, felicissime suam extinguere sitim ualet.

## VII.

Fides saluifica tribus absoluitur partibus, notitia, assensu et fiducia, quemadmodum id fusius declarant Theologi, nobilissima uero eiusdem pars et anima fiducia est, cuius mirificos prorsus effectus longa serie recenset Paulus per totum Caput XI. Ep. ad Hebraeos. Inhaeret illa uoluntati, quemadmodum notitia et assensus intellectui insunt. Vtraque haec fides, dogmatica et saluifica et posterior quidem, quoad duas priores partes notitiam nempe et assensum (quae tunc alio nomine historica etiam solet appellari) in textu nostro indigitatur. Dogmatica innuitur ceu fundamentum, cui historica innititur, et tanquam obiectum circa quod illa uersatur. Historica insinuatur, dum *νοήσεως* mentio iniicitur. *πίστει νοήσεως*. Sensus uerborum sequens est: Scriptura Sacra, tabula illa, Deum et res diuinas scite ac eleganter depictas uenustisque imaginibus repraesentatas nobis sistens, docet mundum a Deo esse conditum. Assertiones istae, quoniam in uerbo benignissimi Numinis infallibili reperiuntur, sunt *πιστά* quaedam, quae fidem merentur, eo ipso itaque dum haec talia legimus, eorundemque cognitionem nobis acquirimus, assensionem nostram cohibere non possumus. Fide ergo diuina amplectimur et credimus, res omnes a Deo esse conditas.

## VIII.

His uero ita propositis, Gentiles excusari posse uidentur, quod nullum, quidam inter eosdem, agnouerint Numen Conditorum mundi, quia sacrarum literarum lumine orbati, fidem concipere non potuerunt. At enim uero excusari saltem posse uidentur, re ipsa autem excusationem non merentur. Vti enim multa uidentur quae non sunt, ita etiam cum praesenti negotio comparatum est. Etsi Apostolus scripturam Sacram principium cognoscendi doctrinae de creatione faciat, nondum tamen exinde sequitur ex eadem solum, atque

uni-

unice notitiam illius posse hauriri, cum iuxta canonem logicum, affirmato uno, non statim negetur alterum. Gentium Doctor equidem fide apprehendi et intelligi creationem docet, eo ipso tamen non excludit scientiam, quam utique etiam gentibus reuelatione carentibus tribuit Rom. I, 19. 20. Scire itaque et credere non sunt contradictoria, uerum subordinata, quoniam diuersus qui datur respectus, omnem plane euertit *ἐναντιώσασιν*. Id quidem ingenuus fateor, nullam rem quatenus scitur, credi posse, et uicissim nullam in quantum creditur, sciri posse, ut tamen negem pro diuersa considerandi ratione rem et sciri et credi posse, nullo plane modo a me impetrare ualeo. Hinc Theologi duplicis generis faciunt articulos fidei, quorum alii purorum appellatione gaudent, alii mixtorum nomine ueniunt. Puros uocant, qui ex sola innotescunt reuelatione, mixtos appellant, quorum cognitio partim ex ratione, partim ex reuelatione petitur, et in horum classem referunt quoque doctrinam de creatione, cum et illa à Theologis ex lumine Scripturae, a Pneumaticis uero ex lumine naturae tradatur et proponatur.

IX.

Causam efficientem τῶν αἰώνων Paulus uocat εἴμα θεῶ. Vocabulum hoc πολύσημον est, cui exempla in Scripturis ubique obuia testantur, modo enim mandatum notat Luc. V. 5. modo factum, rem gestam, negotium Luc. II. 15. Luc. I. 37. Act. V. 32. exprimit. Quoad ultimam significationem congruit cum Hebraeorum כּבּר, utpote quod pariter rem notat. Hoc loco cum εἴματος θεῶ mentio fit, ad duplicis generis εἴμα est respiciendum, tum ad λόγον ὑποστατικόν tum προφορικόν. Per filium Dei creata esse omnia discimus ex Pl. XXXIII. 6. Io. I. 1. Coloff. I. 16. Ebr. I. 2. προφορικός uero λόγος fuit omnipotens illud FIAT Gen. I. saepius repetitum.

X.

Quae adhuc supersunt Oraculi nostri uerba creationis formalem rationem exponunt. Afferitur uero iisdem κατήχηται τῆς αἰώνας εἴματι θεῶ εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Verbum καταρτίξω, quod hic offendimus uocabulo αἰτίος suos

suos debere natales, notius est, quam ut me opus habeat fusc commemorante. Vsurpatur illud de machina quadam corporea, ubi omnes etiam minimae particulae suo loco, eo quo decet ac conuenit modo sunt repositae, et de aedificio quoque adhibetur, cui trabes, ligna et lapides, debito ordine ac uenusta concinnitate inseruit prudens eiusdem architectus. Tam congrue ergo haec rerum uniuersitas a benignissimo eiusdem parente est constructa, adeo mire et ordinate efficta, ut proinde cum diuino Vate sapientiam Dei supplices uenerari nos deceat: Quam multa sunt opera Tua IEHOVAH, quae omnia in sapientia fecisti: plena est terra possessionibus tuis. Hymno CIV, 24. et cum Syracide maiestatem Numinis ex rebus conditis admirari per totum Caput XLIII. Confer tres Orationes RICHARDI BENTLEII de origine et compage mundi apprime huc spectantes, quae circa finem stultitiae et irrationabilitatis atheismi comparent.

XI.

Maneat igitur artificibus et opificibus debitus honos, debita gloria, quod eleganter res suas construere didicerint, nunquam tamen etsi uel maxime summam adhibitori sint industriam, id merebuntur, ut uel aliquali saltem ratione κατασκευῆς illorum cum κατασκευῆς clementissimi Conditoris contendere queat. Fingunt quippe illi effectus suos ex aliqua praeexistenti materia, quae penes Deum fuit nulla. Id quod Apostolus testatur dicens: ἐκ τῶν μὴ φαινόμενων βλέπομενα γεγονέναι. Nullum hic materia praeeexistens reperit fundamentum sed potius plane subuertitur ac prorsus eliminatur. Quae cunque enim ne quidem in oculis DEI, pellucidioribus sole clarissimo nihilominus iurare coruscante Syr. XXIII, 28. apparent, illa propriissime loquendo purum putum nihil sunt. Neque est quod excipias, materiam illam fuisse adeo subtilem, ut omnem plane effugerit uisum aetheris instar, cum nullum tam tenue atque exile reperiri queat corpus, quod omniscientiam diuinam lateat. Accedit et hoc quod μὴ φαινόμενα ista per μὴ ὄντα Rom. IV, 17. exponantur.

C

XII.

XII.

Omnipotentissima itaque actione sua beneficentissimum Numen res omnes quae extra se existunt produxit, tam cogitantes, quam etiam extensas, mundo, *αἰώνων* nomine ab Apostolo insignito, comprehensas. Vltimum uero inter omnia homo fuit *ἐνέργημα*, cum singulari SS. Trinitatis deliberatione creatus. Gen. I, 26. Quae utique res creaturam rationalem monere ac stimulare debet, ut se uicissim conditori suo summa cum animi sollicitudine tradat, eidemque se totam in perpetuum offerat.

XIII.

Patet hinc magnum inter Conditorem et res conditas intercedere discrimen, et quod inde sequitur, mundum EX DEO non emanasse, quod spinosae sapientiae Amatores Sectione superiori recensiti, uno omnes ore propugnant, cum tamen placitum sit mirifica quadam, et monstri plena *ἀπερθεώσει* mundum, in DEUM transformans, crassissimumque atheismum spirans. Iudice enim CHRISTIANO THOMASIO, Confess. Theol. XXXVIII, is Atheus est, qui DEVM concipit a creaturis non realiter distinctum.

XIV.

Prouocant equidem Dissidentibus ad uaria Scripturae loca, in quibus sententiae suae praesidium inuenisse sibi uidentur, attentior nihilominus eorum consideratio, unumquemque cordatum satis superque docebit lectorem, frustra eadem adduci. Summopere sibi gratulantur de Oraculo Paulino. Act. XVII, comm. 28. *ἐν αὐτῷ (θεῷ) ζῶμεν, καὶ κινούμεθα καὶ ἐσόμεν.* Illud uero prorsus huc non spectare peculiari Exercitatione demonstrari. Nec minus in uerbis ex Arato citatis patrocini-um quaerunt, in quibus homines Numinis genus esse asserunt. Sed quid inde? Anne fortassis sequitur: Homines speciatim pii per gratiam adoptantem, qua eosdem Deus in CHRISTO admodum beneuole complexus est, sunt genus Dei. E. illi etiam, modi, partes, et affectiones supremi Numinis sunt. Pro-

Profecto absona est haec argumentatio, et ita comparata, ut risum potius, quam responsonem mereatur. Quod ut eo magis pateat, iuuabit aliquantisper in uerba haec inquirere, ac uerum eorundem sensum paucis inuestigare.

XV.

Liberos Parentum et Posteror Maiorum genus dici, inficias ire quis ausit? Neque tamen propterea ullus adeo delirabit, ut liberos ex Parentibus et successores ex Antecessoribus emanasse contendat. Nemo mortalium, uel mica saltem iudicii gaudens, idcirco asseret, liberos, et posteros esse partes, modos et affectiones, suorum tam parentum, quam etiam maiorum. Multo minus itaque dum genus DEI dicimur, exinde colligere licet, nos ex DEO emanasse, nos miseros mortales esse partes ac modos perfectissimae Supremi Numinis essentiae. Deus est Pater hominum, hi ipsius liberi, ipsius familia, ipsius genus, uarias ob causas et sunt et appellari queunt. Parentibus liberi esse suum acceptum referre debent. DEO debemus quicquid sumus, quicquid habemus propter creationem, qua corpus nostrum eleganter finxit, eidemque mentem, ab omni plane materiae umbra longissime remotam benignissime est largitus. Parentes, natos suo sanguine alunt, eosdem sollicite fouent, ac summa cum cura protegunt. Centum requirerentur linguae, si pro dignitate rei, prouidam Numinis curam, quam erga nos gerit, depraedicare uellem, neque tamen eidem satisfactum iri prorsus confido.

XVI.

Genus itaque DEI sunt homines propter creationem, et conseruationem, non solum autem propterea; uerum pariter ob redemptionem, qua secunda SS. Triados persona, carne humana in tempore induta, acerbissimos tolerauit dolores, ut illi ad coelestia peruenirent gaudia, et miseram sustinuit seruitutem, ut isti aeterna gloria bearentur. Sanctificatio quoque (mediate qua, homo ex statu institutionis in calamitosum destitutionis statum prolapsus, iterum in felicissimam longe collocatur sortem) hic minime erit tacenda. In statu enim

C 2

restit-

restitutionis constitutus homo ad genus et familiam DEI spectat. Status nempe ille nihil aliud est, quam conditio ista filiorum DEI, fors illa hominum uere piorum, in qua isti antea a DEO per peccata auulsi, benignissimo Numini mediantibus principiis et mediis salutis aeternae, suauissime reduniti, secure, quiete, ac summa cum uoluptate animi uiuunt. Hic est status gratiae, cuius felicitatem nulla hominum eloquentia explicare ualet, haec est beatissima illa filiorum DEI uiuendi ratio, quam quidem ego, nisi ita magnam esse fatear, ut eam uix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, longe a ueritate aliena haud immerito dixisse uidebor. Etenim omnibus ueri nominis bonis atque commodis est cumulatissima. Adest ibi pax conscientiae, qua maius in homine bonum uix reperiri potest. DEVS Pater, hominem adoptat in filium, Filius suauissima cum eo tanquam Sponsa coalescit unione, Spiritus Sanctus in habitat cor eiusmodi fidelis hominis, ceu templum aliquod splendidissimum, quinimo uniuersa SS. Trinitas penes hominem pium *μόνην ποιεί.* Io. XIV. 23.

## XVII.

Status hicce restitutionis actum eiusdem praesupponit. Consistit autem ille, in complexu isto beneficarum misericordissimi Numinis actionum, quo Pater Filium mittendo, Filius patiendo, Flamen Sanctum per uerbum et Sacramenta uocando, illuminando, conuertendo, regenerando, iustificando, cum DEO mysterio uniendo, et sanctificando, homines uera fide finali meritum Christi sibi applicantes ad aeternam perducit salutem. Vnde quilibet uidet differre actum et statum restitutionis a se inuicem, ceu prius et posterius, et tanquam principium et principiatum. Actus quippe prior est, status posterior. Actus producit statum, status ab actu efficitur. Ceterum non unius generis, uniusque modi gratia Spiritus Sancti applicatrix est, uerum *τὸν πλεόντων χαρισμάτων καὶ τὴν πολυποίκιλον σοφίαν* Beatissimi Numinis hic deuota decet prosequi admiratione, et pia unice mente uenerari. Debitum enim status filiorum DEI requirit, ut Sospitorem nostrum, pro quali-

qualibet benedictione spirituali, qua nos in coelestibus ditavit, frequenter concelebremus. Quod exemplo suo comprobavit, nobisque uestigia eius premendi necessitatem imposuit Gentium Doctor Eph. I. 3. Varios huius benedictionis actus, superiori §. recensui, quorum omnium intuitu homines genus DEI a Paulo appellantur.

## XVIII.

Sed alius nobis obuertitur Scrupulus ex Rom. XI, 36, petitus, sequentis tenoris: *Ἐξ αὐτῆς (Θεῶν,) καὶ δι' αὐτῆς, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα*, egregie tamen eundem excussit V. E. LOESCHERVS Praenot. Theol. p. 90, adeo ut eidem haud immorandum esse censeam. Vnicum nihilominus adhuc restare uidetur dubium, quod ipse profanus Spinosa Philosophiae Architectus titulo Tractatus Theologico-Politici inscripsit. Est illud, Oraculum Ioanneum I. Ioh. IV. 13. *Ἐν τῆτοι γνώσκουσιν ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν, ὅτι ἐκ τῆ πνεύματος αὐτῆ δέδωκεν ἡμῖν.* Ratiocinium sequens ex illo forte construi posset: si homines sunt et manent in DEO, sequitur, quod sint partes, modi, et affectiones DEI. Atqui uerum est prius, per locum Ioannis E. etiam posterius. En L. B. egregiam argumentationem, à tanto ac tam acuto Philosopho profectam! En puerilem prorsus collectionem haud dissimilem huic: Si Petrus, Ioannes, Paulus etc. sunt et manent in aedificio, sequitur quod partes, modi et affectiones aedificii sint. Adhaec locus ille agit de Vnionem mystica, atque adeo huc plane non spectat. Consistit uero haec mentes miserorum mortalium longissime superans Beatissimi Numinis cum crederentibus arctissima coniunctio, in approximatione essentiae diuinae ad essentiam humanam, unde et unio essentiarum, non uero essentialis appellatur. Absit igitur ut eandem cum ebriis atque insanientibus Fanaticis in monstri plena Deificatione et absurdissima Christificatione positam esse doceamus. Vnionem hanc statim sequitur et quam proxime excipit Renouatio quam alio nomine Sanctificationem appellare moris est, et quidem habitualement, ut ab imputata quam fideles in iustificatione nanciscuntur, distinguatur. Mediante hac Renouati-




uatione sanctum Flamen hominis peccatoris intellectum in-  
 dies magis magisque pellucidissimo uerbi diuini iubare collu-  
 strat, uoluntatem corrigit, appetitum ad mala propendentem  
 arctioribus pedetentim terminis ac limitibus includit, et ha-  
 bitationem suam successiue a uitiorum sordibus purgat. Flu-  
 it hinc deinceps in Christianis γησιως talibus feruidissimum  
 Bonorum Operum studium. Illa quippe debitum status filio-  
 rum DEI sunt, quibus isti uitam fidei, quam diuina illis cle-  
 mentissime et liberalissime indulgit benignitas demonstrant.  
 Aliud enim est uita fidei, aliud ostensio uitae fidei, prior in fi-  
 duciali meriti CHRISTI apprehensione consistit, posterior in  
 assidua ac sedula bonarum actionum effectiue sita est. Pul-  
 cre haec in prima quam scripsit Epistola Diuus Ioannes osten-  
 dit Cap. V. comm. 20. scribens: οἶδαμεν δὲ ὅτι ὁ υἱὸς τῆ θεῆ ἦκει,  
 καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ  
 ἀληθινῷ ἐν τῷ υἱῷ αὐτῆ ἰησοῦ χριστῷ et Cap. IV, 12, et 13. inquit:  
 Ἐάν ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν μένει, καὶ ἡ ἀγάπη αὐτῆ τετε-  
 λειωμένη ἐστὶν ἐν ἡμῖν. Ἐν τῷ γινώσκωμεν ὅτι ἐν αὐτῷ μενομεν etc.  
 Per fidem igitur sumus in DEO, in CHRISTO, quia median-  
 te fide Christum induimus, et ope illius Dulcissimo Seruato-  
 ri nostro ceu uiti spirituali inferimur; ex charitate uero co-  
 gnoscimus arctissimam inter DEVM et nos dari unionem,  
 quia illa proximum Vnionis mysticae consequens est. Licet  
 ergo ui huius coniunctionis, Supremum Numen sit in homi-  
 ne et creatura rationalis uicissim in Benignissimo Conditore,  
 exinde tamen nondum sequitur, hominem esse modum, af-  
 fectionem et partem rerum omnium moderatoris, cum unio  
 haec non naturalis aut essentialis, sed singularissima po-  
 tius et fit et appellari mereatur.

S. D. G.












Iria

F  
10



the scale towards document

et mediis, depellere ualeamus, sicut id in Spinoza  
 e praestitere Blyenbergius et Poiretus,  
 sicut uero alias ea rebus utilibus et innocuis fata  
 nt, ut, dum nimis euehantur, plus noceant,  
 nt; ita idem Mathematicis demonstrationibus  
 do istis, tanquam argumentis primariis, dogma-  
 uerfum, ne sanctissimis quidem fidei myste-  
 onfirmare conamur. Nam cum Mathematicae  
 es unice nitantur euidencia rationis et sensuum,  
 turpissima confusio principiorum introduce-  
 mentis rationis probentur, quae fundamentis  
 istere debebant, Quin (2.) Mathesis et ratio-  
 ni, sed reuelatio rationi subiiceretur, et haec  
 uero ut domina respiceretur. Inde (3.) fides  
 superstructa esse debebat, clarissimis scriptu-  
 ous, non illis, sed Mathematicis demonstra-  
 retur; adeoque (4.) res grauissimae, quae sub  
 s nobis commissae sunt, inaedificarentur fun-  
 roso, infirmo, et a quouis tentationum uen-  
 endo. Imo (5.) ipsa fidei mysteria, non ad di-  
 sum, sed ad rationis nostrae mathematizantis  
 iperentur. Quibuscunque enim mens nostra  
 euit, ad ea plerumque conceptus suos formare  
 e rebus spiritualibus, non spirituales, sed mathe-  
 ptus foueremus. Ex quo uero (6.) id sequi-  
 m omnium sapientissime, addo et solidissime  
 rebus loqui uelimus, eas tam misere detor-  
 inter se confundamus, ut praeterquam quod  
 udibrio turpiter nos exponamus, manibus ped-  
 aiunt, in Scepticismum Indifferentismum,  
 ismum et Atheismum prolabamur. Quod qui-  
 acilius euenire solet, quo plus intellectus no-  
 tus a spiritualibus abhorret, et quo periculo-  
 s inuenta anteferre reuelationi diuinae,